

TRINUNO FORTUNANTE  
 CL. GALENI  
 DE  
 CAUSIS SYMPTOMATVM  
 Libri tres.

EX AMPLISSIMI OR-  
 dinis Basileensium Philosophorum ac Medi-  
 corum Συνηγορίας, μηδὲ Φανή  
 καὶ Ψηφῶς κατὰ τὴν ἐπίστασιν  
 ac decreto

A  
 PHILIPPO PERSIO  
 Elrichense Cherusco in pro-  
 positiones digesti

AC  
 Pro Doctoralibus in Philosophia ac Medicina  
 obtinendis privilegij

PUBLICE  
 Philosophis ac Medicis ad examinandum  
 propositi

Mense Ianuario Anni IIC.

BASILEÆ,  
 Typis CONRADI WALDKIRCHII,  
 MDLXXVIII.

*In Clarissimo Do. Joanni Hilibrando, Medici  
 ac Philosopho Doctore et Chirurgo et Physico  
 Reip. Patavien. gratissimo amico suo*

REVERENDO  
CLARISS. EXCELLENTISS.

P. D. D.

D. POLYCARPO LYSERO  
Theologo insigni Cōncionatori Ele-  
ctorali in aula Dres-  
densi, &c.


D. IOACHIMO CAMERA-  
rio Reipub. Noriberg. Medico  
Physico sine exemplo  
maximo.

D. CASPARO GUTMANNO  
Practico apud Augustanos fœ-  
licissimo, gratiosis-  
simo, &c.

Dominis & fautoribus meis observandis  
dum, ut volebam, non licet

Οἱ ὅτι ἐμὸς οἶκός ἐστιν ἀρχαῖος  
Τόια φέρω:  
ἀντιπελαργῶν.

PHILIPPVS PERSIVS



THE S I S P R I M A .

**D**E causis symptomatum, affectuum scilicet præter naturam velut umbra morbum sequentium, disputaturis primò venit in mentem illud Galeni; omnium qua virtutibus nocent invenendarum causarum caput esse, Modi quo per sanitatem operabantur cognitio.

2. Ut enim certa quatuor Elementorum temperies, proprietatem vel formam cuiusvis partis efficiens, actionis propria est causa; Ita quoque ab hac quando evariat, protinus in causarum læsionis inventionem, deducimur.

3. Num verò hoc ipsum reverà ita se habeat, Symptomatum doctrinà in generales causas reductà, Galenum Duce mimitantes; testatum faciemus.

4. Ad rem ergo. Particularum ratio (dicebat divinus ille Preceptor) symptomatum indicat causas: si hoc; quid per hanc rationem intelligat, investigatione dignum erit.

5. Nil aliud profectò, quam quod Avic. de naturalium facultatum, primis quatuor qualitatibus inservientibus, dicebat, Caliditate scilicet frigiditate humiditate, siccitate; adde compositionem ac unionem naturalem; quibus in officio manentibus, operationes benè procedunt; contra verò si contrà.

6. Dispositio enim hæc secundum naturam uti sanitatem que tribus Critirijs se prodit 1. actione scilicet 2. forma vel qualitate sensu perceptibili, inculpata 3. excretorum retentorumve Commoderatione; Ita è contrario horum uno natura suæ limites excedente morbum subesse pronunciamus, unde dicta actio læsa, qualitas mutata, excreta retentæve p. n. tria sc symptomatum genera resultant, quorum causas in disputationis huius discussurimabimur.

7. *Dicta igitur particularum ratio vitata, actionis vel abolita diminuta vel depravata causa, quæ admodum in omnibus potissimum in sentiendi potentis, ex instrumenti primi, aut usum præbentium partium, aut facultatis seu potentia morbis æstimatur, quæ methodus ex Aristotelis & Theophrasti schola proficiscitur.*

8. *Sic visus actio aboletur, debilitatur, depravatur primo instrumento Crystallino scilicet humore, quæ soli colores alterant affecto ex una aliqua octo intemperierum, simpliciter, aut cum humorum influxu, hinc alienorum innixu, obstructione, compressio, eius translatio, conversio sursum deorsumve, (unde quicquid cernitur duplum apparet) antrosum retrorsum, ob laxitatem tensionemve optici aut musculorum, (ad utrumvis enim angulum si inclinatur parum nocet) solutio continui à frangentibus secantibus, erodentibus, tendentibusve.*

9. *Partes visioni usum præbentes sunt: spiritus visorius, nervus opticus, humor aqueus, vitreus, rhagoides, Choroides, Ceratoides, coniunctiva, amphiblastroides, arachnoides tunica, musculi sex oculos moventes, tendines, nervi ipsi inserti, adeps, carunculaque in canthis, cerebri medulla eâ parte imprimis qua nervi oriuntur; quorum affectus præcipuos tantum brevitate studiosè attingemus.*

10. *Spiritus visorius visioni incommodatur, si paucus & purus, ubi propinquas res bene quidem discernit, & videt, non verò distantes. Sin multus & crassior ac humidior, res distantes videt, at non exactè discernit. Paucus vero & humidior, etiâ propinqua non exactè videt: multus vero & omnino purus, res etiam in multâ distantia videt & exactè discernit.*

11. *Nervus opticus, ipsdem quibus Crystallinus morbis subiacet.*

12. *Humor verò aqueus seu tenuis, uti & vitreus quatenus peccat quantitate, eaque aucta, vel imminuta; item si crassior*

*siori aliquando sit consistentia, aut colore quodammodo alieno.*

13. *Imminutus tripliciter læsionis fit causa, 1. quod Crystallinus non solum solito destitutus munimine ac interstitio externum splendorem ferre nequeat, 2. sed & non satis largiter imbutus inarescat; 3. quo fit ut & rhagides in se cadat, ac rugetur, unde pupilla imminutio.*

14. *Crassities aucta perspicaciam adimit, quæ si major evadit, eam planè tollit, ut in suffusis: si verò aliqua adhuc pupille pars pura, non multas, sed unamquamque rem solam bene vident, cono angustò; sin in centro; suffusio fenestrata omnia putantur; sin divulsa corpora crassa in eò fluitant, culices se videre censent præsertim quibus purior est Crystallinus, & aquosus, veluti Idolum sibi imaginantur quidam, ob crassiorem humoris ibidem consistentiam, præsertim post somnum, vini potum crebriorem, ventriculi cruditates unde caput repletur.*

15. *Non secus si colore immutatus sit hic humor, qualis is erit; eius phantasiâ visibilibus impartietur.*

16. *Post humorem aqueum, Rhagoidi seu Choroidi nonnunquam accidit intemperies, aut tensio ab insita siccitate, aut ex accidenti, si à multitudine subiectorum humorum, (unde phlegmone, aliisque tumor) spirituumve, velut uter vesicæ, potissimum ante corneæ foramen coacervatorum impleta, in omnem partem distenditur, adeo ut ad internoscenda sensibilia, non secus sit impedimento quàm si ipsa Cornea vel ulcere vel vulnere divisa fuerit, spirituique animali ac tenui humori super Crystallinum collapsa, exitum præbeat.*

17. *Eodem modo Ceratoides particula, eaque scilicet quæ pupillæ antestat crassior spissior humidior facta; aut colore alienum, ulcusve (ex quo sordis & humoris effusio) aut rugas contraxerit minuta scilicet pupilla, visum impedit.*

18. *Corneæ verò seu pupillæ foramen quatuor modis à naturali statu mutatur; ampliatur scilicet unde spiritu tota non impletur; imminutum quod fit tensione laxitate, humoris*

aquei defectum: ruptum, aut in aliquam partem detortum.

19. Coniunctiva chymosis & pterygium per se pupillam obtenebrant: per accidens verò si phlegmone, suppuratione, vel insensibili duritie obsessa, (ut & ob genarum incrementum, aut palpebrarum) pupillae umbra offundatur.

20. Arachnoides affectus ex diētis facile erit colligere.

21. Haëtenus de primo visus instrumento, ac eorum, qua usum ei prebent morbis, ad cuius exercitationis exemplar, reliquæ quoq; sentiendi potentie sunt adeunda, si prius causas, per quas visiva, ut & aliorum sensuum facultas leditur, assignaverimus.

22. Hoc autem fit Cerebro, potissimum eâ parte qua nervus oritur concavus, laeso, aut à spiritus animalis morbis.

23. Sic audiendi potentia, auditorio nervo, cerebrove affecto; odorandi, anteriorum cerebri vëtricularum spiritu intemperie calida vel frigida laborante: gustandi, nervis mollibus & gustatoriis laesis ab intemp. tumore, solutione continui, quibus morbis & tangendi potentia afficitur.

24. Quod de primo visus instrumento dicebat Galenus, in ceteris quoq; sensibus obtinet, ut in auditu, interna meatus auditorij extremitatis, qua nervo dilatato coniungitur, morbi, velut insubservientib. eidem cerebri mēbranis sonitus vel motus depravatas imaginationes creat: cetera hys qua de oculo diximus ad portionem respondent.

25. Odoratus instrumentum (quod cum G. & revera teste etiam oculatissimo Domino Bauhino processus mammillares statuimus, intemperatum cum vel sine materia, succo sicuti putri ibidem contento, & ab admotis corporibus ascendentes vapores obturbante, suo factore, odorum perceptionem depravat; aut privat uti fit in propaginum & narium obstructionsibus à polypo catharro, tumore circa internam in colatorij membranam, cerebri involucris aut foramenti, anterioribus ventriculis, compressione, continui solutione cuiusvis harum partium.

idem

26. Idem de gustu; Lingua enim vitiosè sapes sentire solet, tunica eius similari extraneo humore repleta, ut in Emericis; aut intemperata, vel tumida, divisave; sicut gustandi etiam potentia partim nervis mollibus, partim eo loco cerebri unde hi oriuntur, affectis leditur.

27. Hac de instrumento primo, ac potentia reliquorum quatuor sensuum laesa; consequens iam erit, etiam de hys qua usum prebent, dicere.

28. Tanquam igitur in oculo eorum ratio symptomatum indicabat causas: ita & in reliquis sensibus: Ut in auditu ea qua meatus anfractui adjacent, à quovis morbi genere laesa: in odoratu (ut diximus) in gustu verò partes gustatui subservientes, ut palatum lingua, &c. quibus vitiatas nec locutioni nec masticationi etiam ut debebat praest: de tactu idem iudicium.

29. Unum adhuc symptoma omnibus sensibus commune tum quatenus tactu participant; tum ratione proprii sensibilis, restat dolor, & eius contrarium delectatio.

30. Causa immediata omnis doloris est τὸ πᾶσι Φύσιν βλάωσ καὶ ἀδρόως παρ' ἡμῶν πάλιν & γινόμενον; corruptiva alteratio, in partibus sensu praeclatis, velut è contra huius: τὸ εἰς τὴν Φύσιν ἀπὸν πάλιν ἀδρόων.

31. Sic quilibet ex sensibus dolet vel delectatur proprio sensibili ut puta visus colore splendore, auditus sono in aere; odoratus halitu attracto; gustus sapore in humido, tactus solido quod contingit magis vel minus proportionato, grato, aut contristante.

32. Ex tactorio quoque genere sunt stupor, torpor, haemodia, item ea qua circa os vëtriculi cōtingūt symptomata, ob exquisitum quem habet sensum; aut quod utrumq; principium societatis ratione in consensum trahat, ut in syncope stomach. Cardialgia, dyspnea, demorsu, epilepsia, melancholia, delirio, &c. adiunctis hys quibus per se afficitur, ut in appetentia laesa, ad qua iam tempestivum est converti.

33. Stuporis causa, continens eiusq, vel in toto ut artubus, vel singulis partibus sentientibus, affectus est nervi, transitu virtutis prohibens, id quod fit vel ex compressione, vel obstructione, conspatione, frigore, torpedinis marini contactu, duritie, crassitie, luxatione, quibus causis plurimum in auctis, pro torpore paralysis introducitur, vel Apoplexia: haec, ubi nervi omnes una cum cerebro; illa, ubi saltem spina principium, vel subsequentes vertebrae vitium acceperunt.

34. Quia vero partes quaedam per unum saltem nervum, sensum & motum possident voluntarium, fit, ut eo laeso ambo concidant; nisi aliqua adhuc facultas influat, quae ad sensum quidem efficiendum (tangendi enim sensus in passione consistit) non vero ad motum, sufficiens sit.

35. Haemodia stuporis species causam habet cibos acidos, acerbos, austeros, & alia quae gustum taliter afficiunt, quibus dimissis ad oris ventriculi symptomata transibimus.

36. Initium autem sumemus ab iis quibus per se afficitur. Haec ei qui naturales ipsius functiones novit proxime innotescunt; à contrariis enim plane proficiuntur causis.

37. Nam appetentia dicta animalis, non fit, & dicitur abolita quod sensus suetus sit amissus; aut quod suetus non fiat; aut eo quod corpus non vacuetur solito substantiae fluore, à quibus diminutis, ea quoque diminuitur.

38. Depravata vero dicitur appetentia, quae aut in quantitate, aut in qualitate excedit modum: quorum illud fit vel ob totius immodicam à calore dissipationem, vel reventricis imbecillitatem; aut à vitioso succo, suetui naturali similem inferente morsum, qui si frigidus & acidus (ut in canina appet.) alimenti; si salus & biliosus potius magis desiderium excitat: vitiosas vero facultates concupiscunt, quibus vitiosum tunicae ventriculi imbibere excrementum ut in pica.

39. In potioribus vero appetentia totidem sunt symptomata: aboletur enim vel ob humoris vel frigoris in corpore excessum  
aut

aut venter offensam ex desiderio non sentit: quibus remissionibus etiam imminuitur: depravatur vero in quantitate nimia appetens, ob biliosum humorem, aut naturale humidum in eo fervens: in qualitate, ut alteri potius desiderio pro succi dominantis vitio, ex victu vitioso vipera comesta, vino veteri, aqua marina, febre ard. siti obstinata.

40. Tot sunt cause peccatorum quae circa ventris appetentiam contingunt; restant, quae ob eximium eius sensum & situs vicinitatem cum duobus principijs communicat.

41. Communicat autem facilius praedictos affectus, 1. quibus nervorum genus magis sensibile, 2. aut patibile, ut articularum, 3. si principia ex affectu aliquo, vel natura infirmiora 3. si affectus stomacho nocens est vehementior.

42. Affectus autem is oritur, vel à frigiditate valida, ut pituita vitrea spiritu flatuoso, cibo potu medicamentove valde frigido, à quibus non solum os ventris perfrigeratur, sed per nervos Cerebrum, Cor vero per magnam arteriam & situs viciniam.

43. De sensorijs eorumque facultatibus haec tenemus: Harum vero fons est id quod primum sentit, idcirco sensus primus seu communis dicitur, quod sentiendi virtutem per nervum à cerebro, instrumento sensorio, à sensibus alterato, communicet.

44. Huius autem actio, non secus ut praecedentium aboletur, diminuitur depravaturve.

45. Aboletur, aut diminuitur pro quantitate influentis virtutis feriantibus nimirum, exiliter, aut obscure agentibus sensibus, idque vel nervo praeciso, frigidorum, humorum, alimeatorum medicamentorumve contactu, exercitio liberali, unde virtus defatigatur & absimitur, capitis repletionem, depravatur vero in vigilijs à siccitate, calore, succo mordente calido.

46. Quoniam autem facultatis & functionis animalis

*sensifica morbos disputatio percensuit; sequens fuerit, facultatis, vel actionis animalis motricis & principis symptomatum causas persequi (quorum vitio ea, vel impediatur, vel omnino aufertur) idq; ut in principio fecimus, methodum monstrante particularum naturâ.*

47. *Motus siquidem arbitrarij opifex facultas est: instrumenta verò nervi & muscoli; Unde non moveri & male moveri, aut ex instrumentorum affectu aut facultate his uiente accidit.*

48. *Aboletur ut in Paralyfi, cuius (ut & convulsionis) species varia pro instrumentorum particularium, quorum ratione & speciem & nomen mutant, varietate.*

49. *Causa verò eadem quæ stuporis, nisi quòd hæc vehementiores. Debilitatur, ut in stupore, Dyspnœa, de qua, ut & de actione lesa vel abolita facultatis vitalis videatur Galen. nos brevitati studebimus.*

50. *Depravatur verò in Convulsione ab inanitione & repletione, veluti etiam in tremore, rigore, horrore, tussi, sternutatione, oscitatione, pandiculatione, lassitudinum speciebus, sic etiam ubi expultrix cum voluntario communicat, ut palpitazione, singultu, vomitu, ructu.*

51. *Tremor fit à facultatis motricis musculorū nervorūve imbecillitate, obstructione, ita ut exigua facultas in partem influat, aut obrobur vitale solutum.*

52. *Rigoris, horroris, pruritus, sensus ulcerosi, lassitudinis causa una est & eadem, excrementum scil. vel calidissimum vel frigidissimū, cuius tamē quantitate majore minore, qualitate plus minusve mordaci, nitrosa, salsa amara in cute & carne; uti & motu & quiete inter se differunt.*

53. *Cetera etiam symptomata, ut compendio dicamus, ob caloris nativi affectum oriuntur, qui si diminuitur generat vapores & status, qui perspiratum petentes dilatant & atollunt partem unde palpitatio: veluti si noxia hæc & halitosa materia pauca fuerit, oscitatio & pandiculatio.*

Tussis

54. *Tussis fit vehementissima efflacione natura stimulatâ ut propellat vias obstruentia, capite pectori motus principium tradente.*

55. *Sternutationis causa excrementum est mordax, respirationis sensorium eiq; subservientia obstruens, quòd ut expellat natura, motu utroq; expirationis utitur.*

56. *Singultus uti & vomitus & ructus à ciborum humorum medicamentorūve quantitate, aut qualitate ventriculum vel gulam gravante proficiscitur, quæ tamen motu loco, affectuq; differunt.*

57. *Motus seu passiones animi, ut timor, ira, agonia, verecundia, tristitia, gaudium, dolor, & c. caloris naturalis intrò ad principium forasq; delatione cum spiritu ac sanguine celebrantur, de quibus alibi.*

58. *Hæc quæ reatricum actionem, imaginationis sc. cogitationis, & memoriae abolitam diminutam depravatam sequuntur symptomata addemus.*

59. *Abolentur verò & fit oblitio, & stultitia, à succo frigido pituitoso in cerebro collecto, intemperie frâ, aut morbo qui in abscessum abiit, peste, senio, medicamentis frigidis sumtis admotisque capiti: quibus remissioribus debilitantur eadem.*

60. *Depravatur verò in delirio ex intemperie, vapore, succo calido ad cerebrum delato, qui si phlegmonem excitat phrenitin inducit, si melancholicus fuerit, maniam.*

61. *Eadem methodus, qua in animalibus actionibus usi sumus, in naturalibus quoq; quæ symptomata, & à quibus ea causis fiant, inventionis rationem edocet.*

62. *Pro rato igitur hic quoq; presupponimus, nullius corporis partisve actionem impediri posse, nisi lesa in aliquo eius fuerit substantia, facultate scil. instrumentis solitove fibrarum contextu, quibus ea completur, natura modum excedentibus.*

63. *Facultas quidē, si una vel plures quatuor facultatū qua-*

rum ministerio utitur (attractrix sc. retentrix coctrix expultrix) laesa fuerit.

64. Sic coctio qua alteratio est in propriam nutritorum qualitatem à ventriculo cibum sibi assimilante, aboletur diminuitur depravatur, unde ἀπεψία βροδυπεψία, δυσπεψία.

65. Cause verò horum omnium sunt, aut virtutis imbecillitas, nutrimenti vitium, vel defectus, vitæ ratio, & ea qua extrinsecus animali incidunt.

66. Idem de alijs duabus alteratricis speciebus, quarum cruditas vel vitium ad eosdem reducitur modos, eadem proportionem habente alimento quod ex ventre in venas & ex ijs in carnes digeritur, quam habent ad ventriculum ea, que comeduntur & bibuntur.

67. Hinc apepsia succorum in venis omnimoda cruditas: βροδυπεψία si semicocti: dyspepsia si vitiosi, responder: veluti in nutriendi actione rotius molis ἀρεσφία gracilitas, leuce, &c. que potius κάρησοφία dici potest.

68. Eodem modo retentrix quoque, triplicem symptomatum habet differentiam, dum vel plane non; vel diminutè vel vitiosè cibos complectitur.

69. I. Ob facultatis extremam fit imbecillitatem, ex morbo similari, aut instrumentali aut expultricis robur: alterutrum ex modico frigore, à cibis etiam flatulentis, materia poculenta fluctuante: depravatur verò cum ventriculus amplectenda cibos tremis palpitat, &c. cuius motus causas antea enumeravimus.

70. Expultrix vitium capit, ob expellentis virtutis imbecillitatè coctricis & retentricis robur, ex intemperie insigniore: debilis fit ob viarum angustiam, sensus hebetudinè, aut aliò detrudente materiam natura, ut in Crisi, Oedemate, ascite, &c. depravatur verò in singultu, nausea, &c. velut in alijs coctionum speciebus ob excrementi crassitiem, copiam, alteratricis lesionem, ob partium intemperiem, alimenti pravitatem

vitatem ex quibus humores pravi, unde herpes icterus elephas alijs, tumores. pro ut in totum partemve effusi fuerint.

71. Præter hanc attractrix est, que aboletur quando plane cibum non trahit ut in paralyssi stomachi ob extremam facultatis imbecillitatem ex intemperie obstructione aut gula tuberculo: quibus remissioribus etiam debilitatur: depravatur verò e.g. cum venter ex inferioribus capit, clysmata stercus, flatus, humores acres, motu peristaltico.

72. Aliud symptomatum genus est anadosis alimenti scilicet in hepar ac inde in singulas corporis partes vitiosa, ob facultatis imbecillitatem alimentivæ pravitatem.

73. De symptomatum causis in laesa actione sufficienter hætenus. Transibimus ad secundum genus, quod in excretionè vel retentione immòdica consistere dicebamus, inter quas potissimum recensentur, hæmorrhagia, vomitus, deiectio, urina redditio, sudor, menstrua purgationes, gonorrhæa, de quibus singillatim.

74. Hæmorrhagia, ex quacumque etià parte, causa, est facultas irritata, vasorum ora aperiens; sanguis quantitate aut qualitate peccans: & vasa ipsa præsertim mollia, dura, tenuia, reclusa, rupta, erosa, incisa, contusæve.

75. De vomitu antea.

76. Deiectio consuetum prævenit tempus degravato vètre ab assumpto vires, vasa, aut utrumque superante; vel demorso compuncto, aut alienum sibi amoliente, humidiorum viscosiorumve sumptione, sequenti potissimè lenta inambulatione.

77. Serius verò excernit ob expultricem intestinorū, musculorumve abdominis vim debilem, excrementa dura, sensum hebetem, alimentum quantitatè, qualitatè paucam, siccam, acerbam.

78. Multa fit in ociosis, à cibo pleniore excrementitio, digestionis defectu, excrementis desuper in ventrem confluentibus expultricis robore, retentricis imbecillitate: pauca verò à contrariis.

79. Assidua ob imbecillitatè retentricis ex intemperie, vel

demorsum vetriculi & intestinorū à medicamentis, alimentis, humorib inibi genitis, vel transmissis ob robur vel imbecillitatem mittentis sensum nimisum, rosonem, sphincteris resolutionem.

80. Flatuū causa à succis nimirū pituitosis, aut calore imbecillo cibus in halitum resolutis non verò confectis hinc erant addende, sed non movebo hanc Camarinam, attamen, ut, (quādo id per os ructum, per sedem verò excretum sonorum silentemve flatum; vel bombum, acutum tenuēq, sonantem spiritum, aut inflationem producit) de minera eorum, locove iudicare possis prudens, ad Galenum te remitto.

81. Deiectionis cruenta seu dysenteria sanguinea quatuor sunt differentia: Prima per circuitum repetens sanguinis boni vasa & hepar, distribui prohibiti, gravatis, ob membrum aliquod abscissum, omissam exercitationē: secūda aquosi lotura carnum cruentarum similis ex hepatis imbecillitate: Tertia verò melancholici ac splendentis, acris, in crissibus, aut ubi habitus liquefcit: veluti etiam in quarta sinceri, aut grumosi non à ῥῶσ, ut in prioribus, sed paulatim & sepe excreti ob ulcus intestinorum.

82. Urina similiter retinetur, quæ affectio Ischuria dicitur (improprīe enim ea quæ à renum actione abolita) vesica sc. plena ad cōstrictionē qua expellere solet invalida, ex quocūq, morbi genere: potissim. v. collo eius occluso à siccitate ut in febris. à conniventia, ut in collectionibus, ex quibus tumores; aut obstructione à callo grumo tofo, pure, &c.

83. Depravatur verò in stranguria, ab ulcere, lotij acrimonia; in diabete ob quandā veluti αιασιχησιν seu colliquationem totius, aut succorum in venis contentorum.

84. Sudoris copia vel ex colliquatione, naturave dissoluta, ut in syncope, vel Criticè provenit, per immodicam item exercitationem, balnea, calorem æstivum, corporis raritatem, excrementi abundantiam & tenuitatem. Remorantur verò cōtraria, ac nō raro facilis partium tolerantia, aut imbecillitas superfluum retinens.

85. Menses verò supprimuntur ob uteri corpus durum, dēsum, intemperatum, venarum angustiam, compressionem, constipationem, crassitiem, viscositatemve humorum, exercitia, victum tenuem, humorum ad alias partes inclinationē; à quibus remissioribus, uti & proprijs uteri morbis, ydem imminuuntur.

87. Depravatè verò exeunt in immodica copia ob longā desidiam, victum liber aliozem, uteri rheumata, seu toto corpore per eundem se expurgante; ubi semper quod evacuatur tale est specie, quale, quod in animali redundat, hinc colorum in mensibus diversitas.

88. Gonorrhœa ob imbecillitatem retentricis, si laxo pendendo fit; sin intento ut in Priapismo. à spiritu flatuoso provenit.

89. Eodē modo sive ex naribus, auribus, oculis, palato, faucibus, hæmorrhoidib. pectore, pulmonibus, sive ex reliquorū quovis excernatur quid, quantitatem, qualitatem excretionis modum perpēdens, (qua ratione in capite aquē ac in vētre, sua reperitur diarrhœa) in dictas causas reducere haud difficile erit.

90. Ex symptomatum generibus à morbis oriundis unum adhuc restat, in qualitate sc. mutata, seu corporis affectibus ysq, vel in visu, auditu, olfactu, gustu, aut tactu consistentibus, de quibus quā brevissimè.

91. In visu: Colores in genere mutantur succorum occasione, qui à naturali statu recesserunt, vel qui in altum corpus sunt reversi, vel cutem veluti perfuderunt.

92. In specie verò ob causas qui succos ad tales tum motus tum affectus impellunt, ut animi perturbationes, ambiens in calorem vel frigiditatem mutationes, tum ipsius corporis affectus; item si sanguis calidior, turbidior, parcius, uberior foras protrusus introve retractus, omnis vitiosus succus, qui sua specie etiā totū colorē mutat, ut in splenis et iecoris imbecillitate.

93. In auditu symptomata fiunt, ut vox clangosa, tremu-



la, rancia, ex morbis faucium aspera arteria, pulmonis, thoracis veluti aliarum partium sonatus, murmura, stridores, ex flatu humorisq; abundantia indebiti motus, angustiaue instrumentorum resultat.

94. Eadem ratione in ceteris tribus, ut halituum & saporum differentia omnes solidorum corporum temperiem, qua facultatem impedit; quò minus rive & equaliter humores in corpore fluant, sequuntur: veluti & tangibiles, qua cum aëris qualitatibus, quarum soboles sunt, congeneres existunt, & tactu itidem iudicantur.

## THESES PHILOSOPHICÆ.

### METAPHYSICVM.

I.  
**C**um nihil detur præter singularia; hæc autem infinita, infinitorum verò neq; doctrina, nec scientia, scientiam dari videtur impossibile. Negatur.

### ETHICVM.

2. Avaritiæ in senibus potissimum, causam ex Aristotele desideramus, vnâq; remedium quo (cum destituamur ea, quam Hippocrates à Pharmacopola desiderabat radice) eradicari possit.

### LOGICVM.

3. Non entis nulla veritas, Logica nulla.

### RHETORICVM.

4. Rhetoricam Dialecticis esse ἀντιπρόφωλὸν cùm Aristotele asserimus.

### PHYSICVM.

5. Bruçtere, num Circes saltantes noris alumnas  
Quæritur: an philtris concilietur amor.

atq; ita σὺν θεῶν  
ἔων ἡμερόμεν ἐγκυρήσομεν,  
αὐτῶν δὲ ἕα.